

A R T E S I A.

mana putant industria effossum tempore Balduini Comitis, five adversus hostium excursiones, five ad confinia Flandriæ & Artesiæ distinguenda. Alii sinum esse existimant maris interclusi. Certe Morinos etiam Oceano vicinos fuisse agnovit Virgilius, quem eos hominum extremos esse dixit. Atqui nunc Teruana octo milliaribus à mari discreta est. Præterea ex fundo fossæ novæ sæpenumero educuntur partes anchorarum, aliaque ferramenta nautica, certissima argumenta vicini olim & alluentis Oceani. Sunt præterea inter pagos Artesiæ memorandi quidam & non incelebres loci, privilegiis simul & anniversariis nundinis decorati: quales præsertim *Avenna*, quam Comitis vulgo appellant; *Achicurtium*, *Fanum S. Venantii*, *Currerium* denique, Lendio pene contiguum.

*Flumina.*

Fluvii qui in Artesia nascuntur præcipui sunt *Lifa*, *Aa*, & *Scarpa*.

*Lifa.*

*Lifa* verò oritur ad Lisburgum pagum, cui nomen suum impertit, haud procul ab Terouenna: & Ariam opidum prætervectus, Armenterium, Virovicum, Menemium alluit: hinc Cortracum fere medium scindit, & Deinsam præterlapsus, Gandavum decurrit, ubi in Scaldim effunditur.

*Aa.*

*Agino*, vulgo *Aa*, vel *Ha*, nascitur prope Terouanam, in finibus Morinorum, & arrepto in Caurum cursu, prætervehitur Fanum S. Audomari, unde porro Gravelingiam contendit, ubi, non procul ab eo loco, in quo magnum illud inter Gallos ac Burgundos, anno Christi 1558,

commisum est prælium, in Oceanum influit.

*Scarpa* duplēcē habet in Artesia fontem; *Scarpa*. quorum major ex monte Sancti Eligii, alter ex loco illi finitimo profluit: quibus mox concorrentibus, Atrebatum jam integer pervenit. Hinc ad Boream versus Duacum, mox Laleinium & Marcaenas interfluit; unde Hennonium porro decurrens, in exitu ipso Mortaniæ, Scaldis se immiscat.

Porro Artesiorum sermo Gallicus est, sed corruptus. Dritio olim fuit Flandrorum. Totam Balduino Arduennati dotis loco dedit Carolus Calvus, quem is Iuditham uxorem duceret. Postea Philippus Alsatius, quem neptem suam Isabellam locaret Philippo, Ludovici VII, Galliarum Regis filio, dotem ei dedit Flandriam Occiduam, hoc est, tractum eum, qui est à nova fossa usque in Picardiam. Eum Philippus anno 1298 fecit Comitatensem, deditque filio suo Ludovico, qui primus Artesiæ Comes fuit, postea Galliæ Rex & pater Ludovici sancti. Anno vero 1332 Ludovicus Malanus Comes Flandriæ, post matris obitum factus est Comes Artesiæ; atque ita rursum uterque Comitatus conjunctus fuit. Obitu autem Caroli Audacis Burgundiæ Ducis, Ludovicus XI Galliarum Rex iterum Artesia potitus, quæ postremum pacto & födere Caroli VI, Galliarum Regis, & Maximiliani Imperatoris, cessit Philippo Austriaco Maximiliani F. patri Caroli V, anno 1493.

